

Kem 87



Kern 87









AD  
EXSEQVIALES HONORES,  
V I R O  
PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
ATQVE EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERO,

S. R. L. NOBILI, CONSILIARIO, ARCHIATRO  
ET COMITI PALATINO CAESAREO,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIORIBVS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS IN HAC REGIA FRIDERICIANA  
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORI, ALVMNORVM REGIORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDI,  
REGIARVM ACADEMIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENSIS, ET MONSPELIENSIS,  
NEC NON  
ELECTORALIS MOGVNTINAE, ET ARCHIDVICALIS FLORENTINAE  
S O D A L I,  
ATQVE AD AEDEM B. VIRGINIS MARIAE OCTOVIRO,

DIE XXX. IVLII MDCCLXIX.

PLACIDA MORTE DEFVNCTO,

CONSVETO ET SOLLEMNI RITV

DIE II. AVGVSTI

EXHIBENDOS

FRIDERICIANAE PROCERES  
A C C I V E S,

QVA PAR EST,

OBSERVANTIA INVITAT.

ACADEMIAE H. T. PRORECTOR  
FRIDERICVS CHRISTIANVS IVNCKER,  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR,  
HVIVSQVE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS,  
ET PAEDAGOGII REGII NEC NON ORPHANOTROPHI HALENSIS  
MEDICVS PRACTICVS CONSTITVTVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
FORMIS EXSCRIPSIT FRID. AVG. GRVNERT.

Ken 87







**S**i quis forte miratur, qui fiat, ut *Fridericiana* hucusque tam firmiter constituta, tantam nominis famam consecuta, tamque ferax viris, de Summis Principibus et vtraque republica optime meritis, fuerit: is mirari desinet, si cogitauerit, ei inde a primo initio, sub **AVGVSTISSIMO-  
RVM BORVSSIAE REGVM** auspiciis, et *Indulgentissimorum  
Supremi Curatorii Praesidium* Patrocinio, haud paucos doctores adfuisse, multifariae et solidae eruditionis gloria insignes, qui summa fide et dexteritate in id incubuerunt, ut iuuenum animos ad salutem humani generis promouendam formarent.

His merito accensemus Virum Perillustrem, Excellentissimum atque  
Experientissimum, **D. ANDREAM ELIAM BVCHNERVM**,  
**S. R. I. Nobilem**, Consiliarium, Archiatrum et Comitem Palatinum Cae-  
sareum, Potentissimo Borussiae Regi a consiliis sanctioribus, Medicinae et  
Philosophiae naturalis in hac Regia Fridericiana Professorem publicum or-  
dinarium, Facultatis Medicae Seniore, Alumnorum Regiorum Epho-  
rum, Imperialis Academiae Nat. Curios. Praesidem, Regiarum Academia-  
rum, Anglicanae, Berolin. et Monspel. nec non Electoralis Moguntinae



et Archiducalis florentinae sodalem, et denique ad aedem b. virginis Oſto-virum, Virum per totam Europam celeberrimum, qui Fridericianam noſtram per viginti quinque annos docendo, ſcribendo, et praeclare agen-do illuſtrauit.

Quemadmodum vero *Vir Perilluſtris* ad quatenis ardua veluti natus fuit, naturaque nihil tam alte conſtituit, quo ipſius virtus non potuerit eniti: ita in primis hiftoriae naturalis, ſingularumque artis ſalutaris partium ſcientia adeo excelluit, vt ſua aetate vix parem habuerit, nedum ſuperio-rem. Non ſane veremur, ne adfectui aliquid dediffe videamur, cum ſat multa atque illuſtria ea de re monumenta exiſtant, quae fidem dictis conciliare queunt. Superbivit Fridericiana *Hoffmannis*, *Stabliis*, *Albertiis*, *Iunckeris*, *Schulziis*, quorum memoria nobis adhuc ſancta et venerabilis eſt, quod medicorum Halenſium ordini maximam celebritatem et aucto-ritatem parauerunt; ſed hanc ipſam *Noſſer*, his ad coelites euectis, non ſolum omni virium conatu eſt tuitus, ſed etiam amplificauit.

Quo magis autem haec omnia in clariffima luce collocata ſunt, eo magis in votis habuimus, vt BÛCHNERVS mortalium rebus quam diutiſſime intereſſet. Fruebatur enim non ſolum Viro, copioſae erudi-tionis adparatu florentiſſimo, grauiſſimorumque munerum dignitate conſpicio, quod noſtrae Academiae haud vulgarem ſplendorem peperit; ſed etiam in eo tot conſpiciebamus animi dotes, totque virtutum omnis gene-ris ornamenta, vt ſaepe admirati ſimus, in vno, faultrice natura, coiffiſſe ea decora, quae vtplurimum inter plures, laude ſua ceteroquin non de-fraudandos, diſtributa animaduertuntur. Quantam, quaeſumus, prede-bat BÛCHNERVS animi praefentiam, quanta pollebat oris facun-dia, quam acute, diſtincte et ſolide de rebus maximi momenti diſſere-bat, quam faciles erant ad ipſum aditus, quam erat affabilis et in ſermone iucundus, quantam adhibebat in augendis erectiorum ingeniorum profe-ctibus induſtriam, quam vacabat concatenatis laboribus, quos dies no-ctesque ſtudiis tribuebat et literarum commercio, quam blandus erat et comis, quam ad inferuiendum cuiicumque paratus, quam in ſtabilienda alio-rum fortuna indefeſſus, et quanta denique morum elegantia publice pri-varimque comparebat!

Sed cheu! Vota noſtra in caſſum iuerunt: Is enim, quem longiſ-ſima vita dignum exiſtimabamus, et pro cuius ſalute ardentiffimas funde-bamus preces, is, inquit, Deo ita iubente, mortalem vitam cum im-mortali commutauit. Dolemus ſane et lugemus iacturam, quam in BÛCHNERO fecimus, qui, dum viceret, nobis erat in delitiis; nunc vero, cum e vita abiit, grauiſſimas moerendi cauſas ſuppeditat. Et pro-fecto, trifti huic fato impenſius eramus illacrimaturi, niſi, altiori lumine colluſtrati, ſciremus, modum luctuui ponendum, ad quietendumque eſſe in  
Dei



Dei voluntate, qui aeterna et sapientissima lege fanciuit, quando ingredi homines in hanc vitam, quando de ea decedere debeant. Interim nostri saltem est officii, ut memoriam tanti viri sancte conseruemus, et seris, si qui futuri sint, posteris commendemus, qui certe in BÜCHNERI imagine numquam non habebunt, quod imitentur. Brevitati tamen studebimus in describenda *Viri* vita, quia alii iam hoc negotio laudabiliter functi sunt. Nos saltem notatu digniora adferemus, ea etiam addituri, quae occupari nondum potuerunt.

Quo minus ab hominum arbitrio penderet, quo loco nasci, a quibus in lucem edi, quo tempore viuendi initium sumere velint; eo magis in aprico est, merito referri inter eximia Dei beneficia, in celebritate ortum esse, parentibus uti prudentibus, et virtutis haud fucatae cultoribus, atque in ea tempora incidisse, quibus scientiae mirum in modum et amplificauerunt, et nitidiori facie comparent. Sic enim propinqua spes ostenditur, fore, ut, sub sollicita parentum de recte formando tenello cura, multitudo et praestantia egregiorum exemplorum ipsam pueritiam ac iuuentutem ad honesta quaeuis et laudabilia flectere, et ad imitationis studium incendere possit. Atque haec prima diuinae benignitatis munera *Nostro* largiter obtigerunt. Patriam enim habuit *Erfordiam*, musarum sedem tum antiquissimam, tum celeberrimam, in qua lucem adspexit V. Idus April. A. O. R. MDCC, cum breui ante noua quasi vita studiis in Germania reddi coepisset. Patrem nactus est Virum plurimum reuerendum et doctissimum, M. WOLFGANGVM HENRICVM BÜCHNERVM, Xenodochorum pastorem, gymnasiique senatorii, ut et aedis scholaeque Iohannae, itemque orphanotrophei euangelici ephorum; matrem vero coluit BARBARAM DOROTHEAM APPELSTEDIAM, matronam honestissimam, et verae pietati deditam. Cum vero pater, qui et ipse scientiis probe tinctus erat, pro mentis sagacitate fati mature intelligeret, quas excellentes animi dotes in filium natura contulerat; itaque omnem lapidem mouit, ut eae suo tempore vberissimo fructus ferrent.

Neque res successu caruit: vix enim decimum annum viuendo attingerat, cum iam dignus haberetur ex schola Augustiniana transire in gymnasium senatorium. Qualem vero se hic gesserit *Noster*, vel ex eo perspicitur, quod gymnasii Director, STIELERVS, ipsi, quamuis sextum supra decimum annum nondum supergresso, propter insignes, quos sibi comparauerat, profectus, atque incredibilem, quo flagrabat, discendi ardorem, auctor erat, ut ad academica studia se conuerteret.

Atque in hoc quidem campo felicissime decurrit. Philosophiae nimirum operam nauauit, tam veteri, praeeunte in Logicis, Metaphysicis et Physicis P. MARIANO BROCKIE, monacho Augustiniano; quam recentiori, Rüdigerianae, cuius praeceptiones ipsi instillauit frater germanus,

B

GEOR-



GEORGIVS HENRICVS, artium Magister et Pastor hodie Seebacensis, vir doctissimus et de literis bene meritus. Neque *Nostrum* poenituit, veterem philosophari di rationem cum noua coniunxisse: sic enim facile obseruauit, nostra aetate partim fat obsoleta, nouo tantum habitu induta, in scenam iterum produci; partim uero alia, profligatis noxiis erroribus, in exilium missis qualitatibus occultis, neglectis tricis atque ambagibus, uel rectius, uel distinctius, uel certius dici, nostrisque luminibus tenebras scholasticas egregie dispelli. Cui etiam id accessiit, quod *Nestro* priscae proponendi rationis notitia subinde adiumento fuerit, ut scripta maiorum, quibus haud raro multum boni inest, eo melius intelligeret. Non tamen contentus erat *Noster*, philosophiae placita memoria tenuisse, et mente magis magisque pertractasse; sed recte simul arbitrabatur, se non posse citius ad certitudinem deduci, quam si, quae didicerat, aduersus aliorum obiectiones defendere ualeret. Quam ob rem, ne aliquid eorum omitteret, quod ipsi uiam ad solidiorem cognitionem, atque ad ingenii vires acuendas muniret, primum priuatim, deinde uero, uix unius anni ciuis academicus, publice etiam, *an possit dari bonum aliquod iucundum et utile, quod non sit honestum?* sub eodem Augustini discipulo disputauit. Ex eiusmodi exercitationibus *Vir Excellentissimus* inter alia hunc fructum reportauit, ut ignea, qua pollebat, indole adiutus, admirando profusus orationis flumine latina uerba faceret; non tamen, quod sapienti educationi debebat, cum adfectuum tumultu, sed modestia indiuiso comite. Quibus praesidiis instructus ad naturae adyta referenda animum adiunxit, ut deinceps in arte salutari, cui excolendae se consecrauerat, eo felicius progredi posset, probe gnarus, illum Medici nomen non mereri, cui natura ipsa ignota est. Quam ob rem lateri inprimis adhaesit GEORGII VOLCMARI HARTMANNI, uiri, in philosophia repurgata, et disciplinis ad sanandi artem pertinentibus, uersatissimi, qui eas omnes ipsi, genuinis uisus principiis, ordine maxime naturali, explicuit.

Quo pacto sibi BÜCHNERVS tales in medendi scientia adquisiuit profectus, quales rarissime in tam tenerae aetatis adolescentes cadere solent. Ut uero in dies maiora caperet incrementa, anno huius seculi decimo nono circa autumnum *Halam* petiit, ad quam, tamquam ad mercatum, ex omni fere Europa, qui solidae eruditioni uacare constituerant, confluebant, anatomiae, botanicae, chemiae et chirurgiae operam studiose impensurus. Cum igitur se HOFFMANNI, Viri post fata etiam praecipua quadam ratione colendi, disciplinae totum traderet, et praeterea ab ore aliorum, meritorum gloria illustrium, ALBERTI, COSCHWIZII, BASSII, BVXBAVMII, penderet: laetabundus intellexit, se nunc demum uotorum plene compotem fieri, insatiabilemque in adyta rerum penetrandi cupiditatem expleri. Quemadmodum uero BÜCHNERVS se per omnem uitam felicem praedicauit, quod



quod incomparabili tantorum Virorum institutione sibi frui licuerit: ita habuerunt etiam ipsius Praeceptores, quod sibi de discipulo, eminentibus animi dotibus praedito, a propaedeuticis bene instructo, incredibili discendi cupiditate incenso, et ad maiora strenue contendente, gratularentur.

Exacto integro triennio, ad *Lipsiensem* academiam conuersus, eundem vrgere cursum non destitit; et praeterea *Argentoratum* proficisci, fama virorum, Anatomiam et Chirurgiam ibidem docentium, allectus, voluit. At enim vero cum lues per quasdam Galliae regiones grassaretur; mutato, ex voluntate parentum, consilio, litterariam peregrinationem per Sueuiam, Franconiam et Saxoniae inferioris partem suscepit, ex praestantissimorum medicorum colloquiis suos thesauros locupletaturus.

Quibus ita feliciter confectis, redux in patriam, vnus supra viginti anni iuuenis, supremis in Medicina honoribus, vbi sine praefide *de atrocissimo sequioris sexus flagello, passione hysterica*, plaudentibus omnibus, publice disputauerat, condecoratus fuit. Prout vero *Vir optimus* penitissime perspiciebat, illum demum axiomate doctorali vere ornari, qui ipsummet haud inficiandis eruditionis documentis ornat: ita nihil sibi prius nihilque antiquius esse fuit, quam vt quauis data occasione re ipsa ostenderet, se doctoris dignitate haud indignum esse. Aperuit eum in finem lectiones medicas, scripta in lucem emisit, selectiora Physices et latrices capita complexa, aegrisque, suam opem implorantibus, et consilio adfuit et auxilio.

Iam non potuit diutius BŪCHNERI nomen in obscuro latere, aut intra *Erfordiae* limites subsistere; sed erudito orbi paullatim innotuit, atque ex eo nouis subinde honoribus auctus fuit. Praeterquam igitur, quod ordo philosophicus ei A. MDCCXXVI. Magisterii iura et Priuilegia tribuebat, Praefes Academiae naturae curiosorum, Ill. SCHROECKIUS, eodem anno ipsum in collegarum numerum, BACCHII, celebris quondam medici, GALENO commemorati, nomine insignitum, recepit; nec ita multo post *Severissimus Dux Isenacensis* Physici spartam in ditone Rudestaetiana ipsi quam clementissime commisit; et denique A. MDCCXXIX. mense Iunio, post obitum cl. FISCHERI, Professor institutionum medicinae, huiusque facultatis Adfessor praeter ordinem, constitutus est; quod munus, praemisso programme, *de combinandis antiquorum et modernorum dogmatibus*, adit, eidemque ita praefuit, vt, qui ipsum praeueuntem gnauiter sequebatur, se in eruditione medica multum profecisse, grati profiterentur.

Quod vero magnis ingeniis in more positum est, vt oblati opportunitatibus sine mora vrantur, obrentuque arduis potiantur, nullis difficultatibus deterriti; id nostro etiam contigit. Ad omnia attentus, omnia in vsus suos conuertens, nullam occasionem e manibus elabi passus est, qua insignem eruditionem, iam comparatam, aut confirmaret, aut nouis luminibus perfunderet, aut amplificaret; cumque in finem dies noctesque legit, lecta



mente voluit, scripsit, impigro labore aliorum commoda promouit, et, quam fieri potuit, semper et vbique praeclarissime egit.

Quanto maior autem erat BÜCHNERIANAE doctrinae, altius quotidie surgentis, gloria, tanto maioribus adiciebatur proemiis. Etenim IOHANNES IACOBVS BAIERVS, Academiae N. C. post SCHROECKIVM Praefes, A. MDCCXXXII. *Adiuncti* illius collegii honore eum induit, eidemque anno mox insequente, post ETTMÜLLERI obitum, Ephemeridum Societatis istius dirigendarum curam tradidit; quin immo, pie defuncto Illustri BAIERO, tanta fuit meritorum ipsius de litteris partorum existimatio, vt, conspirante adiunctorum voluntate, Praefes splendidae Societatis designaretur, quocum loco honores Comitis Palatini, Archiatri Caesarei, atque S. R. I. nobilis, ex priuilegio Caesareo coniuncti erant.

Et profecto BÜCHNERVS vnus omnium maxime erat idoneus, in quem conferri illustris haec dignitas poterat. Vt enim iam nihil dicamus de praeclara et diffusa eruditione, morumque grauitate, qua longe plurimis antebat, nemo erat in conciliandis sibi animis ipso felicior, nemo in diiudicandis ingeniis perspicacior, nemo concatenatorum laborum patientior, nemo in expediendis negotiis promptior, nemo denique in circumspiciendis aliorum commodis vigilantior, nemo in iis conquirendis diligentior. O beatam societatem litterariam, cuius caput tot virtutibus fulget! Vnde nec mirum est, Academiam N. C. hoc praefide, et magis stabilitam, atque aduersus aliorum insultus masculae defensionem, et magis fortunatam, et numerosiorem et splendidiorem euasisse. Hic vero ne verbis quidem opus est, cum rerum adsint testimonia. Primo enim variis scriptis de ea optime meruit, quorum catalogum exhibet BOERNERVS, Vir clarissimus; <sup>1)</sup> quibus iure addimus, eius sub praesidio in lucem exiisse Volumina VI. posteriora veterum, et tomos III. nouorum actorum Academiae Imperialis N. C. Inprimis autem sine honorifica mentione dimittere non possumus tum *Academiae Sacri Romani Imperii Leopoldino-Carolinae N. C. historiam*, hic Halae MDCCLV. euulgatam, qua cuncta, quae ad hanc societatem, orbi erudito, arti medicae, immo toti humano generi tam salutarem pertinet, vt accuratissime, ita elegantissime, exponuntur; tum vero etiam *Academiae N. C. bibliothecam Physicam, medicam, miscellam, partim sociorum munificentia, partim ipsius sumptibus comparatam*, quam A. MDCCCLIV. publici iuris fecit. Et certe, si adparatum hunc librarium spectes, multis nominibus BÜCHNERO obstrictam se sentit illustris Academia, partim quod eum, vna cum museo curioso, A. MDCCXXXVII. Noriberga Erfordiam translatum, atrio splendidissime exornato, amplo pariter atque inferius concamerato, mandauerit; partim vero, quod fatis spectabili optimi generis libro-

rum

<sup>1)</sup> In den Nachrichten von den Lebensumständen und Schriften berühmter Aerzte, im zweyten Zehenden des ersten Bandes p. 281. fqq.



tum numero eum auxerit. Cum enim b. BAIERVS, *Nostri* in officio antecessor, vix CXCIV volumina collegisset; iam numerabantur A. MDCCLX volumina MDLXV: quibus deinceps plura accefferunt. Quae vero incrementa cepit bibliotheca, eadem sibi gratulari potest ipsa Academia, cui inde ab anno MDCCXXXV. vsque ad finem anni MDCCLXIII. adscripti sunt focii CCXIV. quos inter sunt Serenissimi Principes, Celsissimi Comites, Perillustres liberi Barones, pluresque Viri generosissimi, et praeterea civici ordinis multi, magnam nominis celebritatem ex incomparabili, qua florent, eruditione iam dudum adepti, qui omnes Academiae non solum splendorem conciliant, sed etiam diligenter elaboratis et tamquam elucubratis scriptis egregie profunt.

Vnum superest, silentio minime praetereundum, quod *Perillustri* BÛCHNERO singulari gloriae, totique Societati honori cedit. Potestatem enim obtinuit, *gloriosissimae memoriae Imperatorem* CAROLVM VII. vna cum WIDMANNO, A. N. C. illius temporis Directore, A. MDCCXLII. mense Iunio, adeundi, augustam *Ipsius* manum osculandi, et privilegiorum A. N. C. confirmationem quam demississime rogandi. Quae supplices preces apud *Augustissimum Imperatorem* tantum valuerunt, ut privilegia, ab *inimitissimo* LEOPOLDO concessa, atque a *Gloriosissimo* CAROLO VI. repetita, non solum denuo rata et stabilia esse iusserit; sed etiam, qua erat *Optimus* CAROLVS VII. excelsa clementia, et, quo ferebatur in scientias animo, magnanimiter amplificauerit. Quam effusissima porro gratia *Illusterrimus S. R. I. comes a* KOENIGSFELD, vicarius Imperii germanici Cancellarius, ea occasione *Nostrum* profecutus sit; et quam summam munificentiam restatam fecerit *Eminentissimus Elector Moguntinus*, PHILIPPVS CAROLVS; commemoratu quidem dignissimum iudicamus, hic vero omitimus, cum ipse BÛCHNERVS in sua, quam supra laudauimus, historia A. N. C. hanc tantam Summorum Imperantium, nec non aulae Procerum, clementiam, munificentiam, et gratiam summis laudibus iam extulerit, atque ad posteritatem transmiserit. <sup>2)</sup>

Quae nominis celebritas hucusque Germaniam repleuerat, ea etiam ad Russos pertigit, interprete FISCHERO, Archiatro, Viro incomparabili, cuius etiam commendatione effectum est, ut *Gloriosissima* ANNA, *Moscovitarum Imperatrix*, medici aulici spartam fatiis opimam *Nostro* offerri iuberet, eum facultate, Germaniam post quorundam annorum moram, reperendi, si ita luberet. Et fruiturus quoque erat *Potentissimae Principis* clementia, nisi grauissima impedimenta obstitissent.

Qua re permotus *Eminentissimus Moguntiae Elector*, ut, quanti faceret hoc terrarum suarum decus, significaret, BÛCHNERO publicam chemiae professionem, vna cum loco in facultate medica ordina-

C

rio,

<sup>2)</sup> p. 247. — 53.



rio, A. MDCCXXXVII. mense Septembri demandauit, quam auspiciatus est edito programme *de Chemia, complura abdita naturae mysteria accurate explanante, et exacte saepius imitante*. Quibus plausibus et honorum testificationibus calculum paullo post adiecit *Academia Scientiarum Berolinensis*, quae sibi A. MDCCXXXVIII. Virum, tot meritis conspicuum, socium adsciscere non dubitauit. Tantum vero absuit, vt *Vir Excellentissimus* vel factu turgidus, vel in bene agendo remissior factus sit, vt potius orbi erudito, studiofae iuuentuti, maleque se habentibus, summa fide, solida eruditione, et euentu felici, operam suam collocauerit, ipsamque inuidiam, quae virtutis comes esse solet, sua virtute prostrauerit.

Cum vero Cathedra *Hierana* Virum, tot praeclaris facinoribus cognitum, tot honoribus auctum, tot laudibus doctorum hominum celebratum, vix caperet: Deo optime nobis providente, accidit, vt ab *Augustissimo Borussiae rege, FRIDERICO II. Domino nostro longe Clementissimo*, post obitum b. SCHVLZII, sub finem Decembris MDCCXLIV. Halam vocaretur, vt Medicinam pariter atque Physicam doceret, *Potentissimoque Regi* a consiliis esset sanctioribus. Adiit hanc prouinciam anni sequentis mense Iunio, eandemque tanta dexteritate, fide, cura et gloria per longam annorum seriem administrauit, vt Academia Halensis merito habeat, quod sibi de tali Professore gratuletur. Praeterquam enim, quod auditores, qui vndecumque ad ipsum confluerunt, omnis generis doctrina, haud interrupta diligentia imbuit, atque ad altiora contendentibus numquam non consilio et auxilio adfuit, et denique scripta quam plurima, quibus difficillima et nobilissima argumenta excussit, cum orbe erudito communicauit; in id simul omnes ingenii nervos intendit, vt, quaecumque in commodum *Fridericianae* cedere poterant, pro virili efficeret. Quae sigillatim exponamus, necesse non est, cum in nostrum omnium notitia versentur; sicuti etiam vel verbo significasse satis est, quod Serenissimi Principes, alique vtriusque reipublicae Proceres, morbis adfecti, magno numero ad sanitatem reparandam BÜCHNERO vti sint.

Ex eo tempore praestantiae Büchnerianae fulgor exterorum oculos adeo perfrinxit, vt societates eruditae, intra et extra Germaniam stabilitae, quibus nondum adscriptus erat, certatim de eo sibi conciliando cogitarent, opinatae, sibi haud vulgare decus accessurum, si auctiori cum ipso coniunctione fruerentur. Itaque sub initium A. MDCCLV. *Academia scientiarum Regia Monspeliensis*; ineunte A. MDCCLVI. *Academia Electoralis Moguntina*; sub finem A. MDCCLIX. *Caesarea Societas Botanica florentina*, et, quod *Nostris* maxime honorificum est, A. MDCCLXIII. *Regia Anglicana scientiarum Societas*, ipsum collegam suum esse voluerunt. Plura cumulare possemus, *Nostris* perquam gloriosa; sed ohe, iam satis est laborum, satis meritorum, satis honorum, satis gloriae!

Super-



Superfunt res familiae *Viri Perilluſtris*, quas in vitae eius descriptione profuſus conticeſcere non decet. Coniugem itaque A. MDCCXXIX. d. VI. Sept. duxit CORDVLAN MARIAM, vnicam PHILIPPI THEODORI VERPOORTENII, S. S. Theologiae Licentiat, et in illuſtri, quod Coburgi floret, Gymnaſio academico eloquentiae et graecae linguae Profeſſoris publici ordinarii, filiam, Virginem, omnium ſexus ſui virtutum decoribus ornatiffimam, quam in dulci matrimonio, quod improle tamen manſit, per integros triginta annos habuit, praematura autem morte ſibi A. MDCCCLIX. d. VII. Sept. ereptam luxit.

Transiit deinde *Vir Perilluſtris* poſt quinquennem viduitatem MDCCCLXIV. d. II. Maii ad vota ſecunda, ſibiſque tori ſociam elegit MARTHAM IVDITHAM, natam BOERNERIAM, Viri quondam Excellentiffimi atque Experimentiffimi, D. IOH. HIERONYMI KNIPHOFII, Fac. Med. Erford. Senioris et Aſſeſſoris primarii, Pathol. et prax. Prof. publ. ordin. Acad. N. C. Adiuncti et Bibliothecarii, Viduam, Matronam nobiliſſimam, et optimarum virtutum illuſtribus decoribus inſtructiſſimam, quae tenerimo amore, et ſingulari animi conſtantia, poſthabita ſui ipſius cura, *Perilluſtrem maritum* ad extremum vsque halitum complexa eſt; cui matrimonio nihil fere niſi perpetuitas deſuit.

Placuit enim Deo, Summo rerum humanarum arbitro, BÛCHNERVM, diuturniore lucis vſura longe digniſſimum, nobiſque numquam non deſideratiſſimum, rebus mortalium opinione noſtra citius eximere. Quae vero vltima fata *Viri Perilluſtris* fuerint, verbis Ill. EBERHARDI, quem beate deſunctus inter amicos e paucis referre ſolebat, deſcribemus. „Iam „ante aliquot annos, ita inquit *Vir Excellentiffimus*, rheumatismo leuiori „laborare incepit *Vir Perilluſtris*, qui humerum et brachium infeſtabat; „quem ſanitatiſ ſuae hoſtem cum minus aeſtimaret, ſub initium anni „MDCCCLXVII. incidit in febrem catarrhalem, cum peripneumonia con- „iunctam, quae cum per aliquot hebdomadas conſiſtabatur. Ceſſit tandem „febris optimis remediis; ſed reſtitans peſtoris adſectus aſthmaticus, cum „tuſſi ſemper recurrente, demonſtrauit, morbum non eſſe ita proſtigatum, vt „omnis peccans materia exereta fuerit. Immo ipſe *Vir b.* augurabatur, rheu- „maticam illam materiam ad peſtus iam eſſe delatam, ibique fixam veluti ſe- „dem elegiſſe. Ceterum haec peſtoris adſectio a ſubeundis ſuis officiis non „derinuit *Noſtrum*, quibus quippe ſemper ſumma diligentia vacabat. Ve- „rum ſuperiori anno recrudit malo ſane omine, poſt ſuſceptum iter, et no- „vum febris catarrhalis inſultum, pedum adſectus, quo iam ante triginta, „et quod excedit, annos laborauerat *Illuſtris Vir*. Vlcuſcula dolorifica ſini- „ſtrum primo, deinde etiam dextrum crus obſidebant, quibus ſucceſſiue „auctis, vlcera oriebantur, pus copioſum plorantia. Spes quidem adfulſit „aliqua, pedum hunc morbum aut ſuperari, aut minui certe poſſe, cum pur-



„ pura scorbutica in toto corpore erumperet. Sed frustranea eheu! fuit haec  
 „ expectatio. Ita nempe superata purpura augebatur morbus, ut, doloribus  
 „ admodum, noctu inprimis, saeuientibus, omnis fere somnus ab oculis eius  
 „ abesset, et per plures menses extra lectum sedenti paululum somni liceret  
 „ capere. Variis remediis in cassum adhibitis, tandem cortice Perutiano,  
 „ cum rhabarbaro remixto, per aliquod tempus quotidie larga fatis dosi ad-  
 „ sumto, lminui morbus videbatur, ita ut et fontis Selterani vsũ iam con-  
 „ iungere cum reliqua medicatione inciperet. Sed eheu! tristis ei nuntius  
 „ adfertur de morte optimi amici, *Illustris Trew*, Acad. N. C. Directoris.  
 „ Qua inopina morte ita adfectus est *Venerabilis Senex*, ut vires statim pro-  
 „ sternerentur, omnis appetitus periret, et somnus ab oculis abesset plane.  
 „ Febris lenta maximopere augebatur, et pulsus continuo reddebatur debi-  
 „ lior, ita ut quarto tandem ab accepto fatali nuntio die, qui erat d. XXX.  
 „ Iulii a. c. placidissime, mente Deo devota, expiraret, cum viuendo exple-  
 „ visset annos LXVIII. et quatuor fere menses. „

Hoc igitur est memorabile vitae per omnia praeclarae aetate curriculum,  
 ex quo cernere licet, subductum esse nostris oculis Virum, a varia erudi-  
 tione instructissimum, sed absque iactantia; grauißimis innumero numero  
 negotiis implicitum, sed sine taedio; maximis honorum dignitatibus praeful-  
 gentem, sed sine fastu; ad omnia officiorum genera paratissimum, sed sine  
 spe commodi; egenorum perfugium, sed sine ostentatione; amicum et col-  
 legam, sed sine furore et obrectandi libidine; strenuum virtutis cultorem, sed  
 non sine humanae infirmitatis sensu; et denique cultus diuini obseruantis-  
 simum, sed sine hypocrisis.


Quae cum ita sint, nemo non intelligit, non leuem nos pati iacturam,  
 cum BVCHNERO, Viro optimo, carere iubemur. Quemadmodum ve-  
 ro vicem nostram merito dolemus; ita iure etiam venimus in communionem  
 doloris moestissimae *Coniugis*, tertium *viduae*, pietatis in illustrem maritum  
 omnibus partibus ita probe defunctae, ut nihil omnino reliquum fecerit,  
 quod vel acerrimus officiorum exactor possit desiderare. Luget *illis* cum  
 Excellentissimis et Praenobilissimis *Filiis*, Viris, ad bonum publicum pro-  
 mouendum natis, et *filiabus*, omnia ornamenta et decora feminei sexus com-  
 plexis: Luget vnicus, qui superstes est, *frater*, doctus grandaeuus, de *No-  
 stro*, ut supra iam tetigimus, a prima iuuentute valde meritis. Luget deni-  
 que *fratrum soboles*, cum tota *splendidissima*, quousque patet, *familia*.

Nos Deum suppliciter oramus, velit moerentium lacrimas ab-  
 stergere, prostratos animos erigere, omnigena felicitate eos beare, et *Illu-  
 stris* inprimis *Coniugis*, tertium ad solitudinem redactae, fidem, amorem  
 et beneuolentiam, beate *defuncto marito* praestitam, quam  
 abundantissime remunerari.



W 78  
Pica







AD  
EXSEQVIALES HONORES,  
V I R O  
PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
ATQVE EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERO,

S. R. L. NOBILI, CONSILIARIO, ARCHIATRO  
ET COMITI PALATINO CAESAREO,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII SANCTORIBVS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS IN HAC REGIA FRIDERICIANA  
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORI, ALVGNORVM REGIORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDI,  
REGIARVM ACADEMIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENSIS, ET MONSPELIENSIS,  
NEC NON  
ELECTORALIS MOGVNTINAE, ET ARCHIDVCALIS FLORENTINAE  
S O D A L I,  
ATQVE AD AEDEM B. VIRGINIS MARIAE OCTOVIRO,

DIE XXX. IVLII MDCCLXIX

PLACIDA MORTE DEFVNCTO,

CONSVETO ET SOLLEMNI RITV

DIE II. AVGVSTI

EXHIBENDOS

ANAE PROCERES  
C I V E S,

QVA PAR EST,

RESERVANTIA INVITAT

AE H. T. PRORECTOR

CHRISTIANVS IVNCKER,

AE ET MEDICINAE DOCTOR,

ESSOR PVBLICVS ORDINARIVS,

NEC NON ORPHANTROPHEI HALENSIS

PRACTICVS CONSTITVTVS.

AE MAGDEBVRGICAE,

CRIPSIT FRID. AVG. GRVNERT.

